


...
XIV

...



C. B. D.

BREVIS REPETITIO

§. Thefauros 39. J. de R. D.

*Quam**Amplissimo Icthorum Ordine consentiente*

PRÆSIDE


GOTTFRIDO SCHNEIDERO

U. J. D. Curiaeq; Provincialis Advocato.

Discutiendam exhibet

CHRISTOPHORUS à Wiedebach/

Nobilis Lusat.

In Auditorio Icthorum d. 4. Novembr. hor. antem.

WITTEBERGÆ

Typis Johannis Röhneri Acad. Typogr.

ANNO M DC LI.


M. J. Wiedebach

22

LEWIS & CLARK
JOURNAL
1804-1806
COLUMBIAN MUSEUM
WASHINGTON
D.C.

Handwritten signature or initials





PRÆLOQUIUM.



Um multi ac varii modi inveniuntur,
per quos in cognitionem scientiarum in-
sinuare nos possumus; tum ipsum Dispu-
tationis exercitium eò nos imprimis pa-
tenti via deducit. Ipsa enim tacita medi-
tationes utut salutares atq; ad discen-
dum comparat & utiliter sint: per eas tamen, monente Sca-
ligero exercitat. 308, minus utiq; quam per altercatio-
nes proficimus.

Hæret profectò semen introrsum veri,
Quod excitatur ventilante doctrina.
Nam cur rogati spontè recta censeatis
Nimersus alto viveret fomes corde?
Quod si Platonis Musa personat verum,
Quod quisquis discit, immemor recordatur.

*Legitur penes Boethium l. 3. de Consolat. Philo-
sophiæ. De cætero sciendum est, Disquisitionum usum duo-
bus cum maxime infringi, Pertinacia videlicet, ac Ignobi-
litate materialium. Illa facit, ut seruel amplexa sententia
mordicus defendatur, nec vix ulla ratione ab illa recedatur.
Ex immani scilicet isto contradicendi studio, quod à vero a-
nimos intransversum agit. Namq; sicut aquaticis ac veterosis*

lutea quæ non sunt, æque ut lutea videntur: ait non incelebris hoc tempore scriptor Cunaus l. 3. de Republ. Ebræor. c. 5. sic, cujus animo semel sedit pervicax opinio, desinit ille res vera notione discernere, & quicquid obviam uspiam est, id omne in servire suæ causæ autumat. Hæc autem inanem laboris fructum producit pro vero, quem disquirendo aliàs venari unice decet. Melius igitur est non tangere quæstiones inutiles, argutas, ac steriles nimium, quas nosse, verba sunt Senecæ in Epistola 45. tantidem interest, quanti, pluresne supernè quam infernè dentes Ewandri mater habuerit. Ac potius iis insudandum, quæ ex materia utili scituq. necessaria, & re ipsa utilitatem habitura efflorescunt. Quod quàm probè habuerit pensit Generosus ac Nobilissimus Dominus Respondens, ipsum præsens thema ostendit. Cujus utilitate se evitaturum censuram sperat, quam Wauver de Polymath. c. 19. in Ictorum Disputationes satis mordaciter tulit. Ait autem ita: Quantum demutavit jurisprudentia ab illa antiqua sapientia civili, cum Juvenes in scholis rixantur, commisi disputationibus ludicris, & instar spinarum paribus aculeis invicem obversis, quibus tam bellè instruuntur, ut, cum in forum venerint, putent se in alium, ut ille ait, orbem delatos. In quod quo rectè atq. ordine ingrediamur, ab ipsa nominis investigatione auspicabimur, ne hæc ipsa susq. deq. habitæ in leges communissima methodi aliquid secus committamus. Tuum, IMMORTALE NUMEN, hic nobis in vestibulo exposcendum auxilium, cum nihil ritè, secundū Pliniū in divino suo Panegyrico .i. nihilq. pro videnter homines sine DEI Immortalis ope, consilio, honore auspicentur. Quod ut denegare nobis ne velis, ardentibus à TE nunc precibus efflagitamus.

Cap. I.

Cap. I.

Continens occasione *Vocabuli The- saurus* Definitionem Nominalem.

§. 1. Theſaurus itaq; à Græco verbo *θησαυρος*, quod pōno, & *οπω* quod custodio ſignificat, deſcendit. *Nicol. Perrot. in Cornucop.* Sive, ut *Conan. lib. 3. comment. ar. Iur. Civil. cap. 4. n. 3.* à *θησαυρος* dicitur, quaſi *θησαυρος* hoc eſt; in caſtrinum reſoſitus. Aliis à *θησαυρος* atq; *θησαυρος* quaſi reſoſitorium rerum, quæ nobis charæ, deduſtum videtur. Pars aliundè hujus vocabuli derivationem arceſſunt, prout pulchrè admodum annotavit *Matth. Martin. in Lexico Philologico in voce Theſaurus.*

§. 2. Denotatq; ſubinde varia. Nonnunquam enim Thecam ubi quid conditur, exprimit. Sic *Obert. Giſan. in obſervat. in Ling. Lat. in voce Theſaurus* refert, alveos, ſeu cellas apud à Virgilio Theſauros dici. Nonnunquam quemvis cumululum, quin & non raro peſſimam rei copiam monſtrat. Sic *Jerem. 50. v. 25* legitur: *Der Herr hat ſeinen Schatz auffgethan und die Waffen ſeines zorns herfür bracht/ & penes Apulejum Theſaurus fraudis.* In quam rem nonnulla habet *Frideric. Taubman. in Plauti Amphitruon. Act. 4. ſcen. 2. num. 12.* ut & *ad Mertat. Act. 3. Scen. 4. num. 56. ad verba Theſaurum mali.* Nonnunquam & abuſivè facultates Principis vel civitatis cujuſdam, ſed minus propriè, notat. Omnes ſiquidem opes publicæ in unum locum congeſtæ atq; depoſitæ, *Ærario* nomen dederunt; at Theſaurus verò privatorum pecunia vocatur. *Thom. Dempſter in Paralipomen. ad Lib. 7. Roſini de Antiquitat. Rom. c. 31. p. 1158. lit. e.* Tandem, ut & hoc attingamus, Theſaurus penes Meſſenios fuit domicilium ſubterraneum, neq; auras, neq; lucem exterius excipiens. Nec ullæ carceri fores erant, Saxo immani intruſo occludebantur. In quod cum Magnus Græciæ Imperator Philopæmen fuiſſet

fuisse impactus, mox hausto veneno interiit. *Ludovic. Gal. Rhodigin. Lectio. Antiquar. Lib. 17. c. 8. p. 635. lit. b.*

§. 3. Qui quidem significatus juxta omnes ut alieni, ita impropii sunt. Proprius autem est, quando rem ipsam conditam pretiosam, atq; inprimis pecuniam, ut hic, abstrusam significat. Quippe Thesaurus qualibet res pretiosa est. Inde nimirum proverbium percrebuit: *Carbones pro Thesauris*, hoc est, res vilis pro pretiosa. *Conr. ad Rittershus. in Commentar. in Institut. ad §. b. n.* Quod tamen non uniformiter fit. Quandoq; enim generaliter omnem pecuniam conditam ostendit etiam talem, de cujus dominio constat. *l. Theosaurus 15. ff. Ad Exhibend. l. peregrè 44. in pr. De Acquir. possess. l. item 22. in pr. Fam. Erisc. Johan. Coras. in Rubr. ff. de servitut. num. 81.* Rectius verò ac strictius talis dicitur pecunia recondita, cujus quis fuerit Dominus, ignoratur. *l. un. C. de Theosaur. l. à tutore 67. ff. de R. V.* Prout hoc ipsum Dd. communiter ex legum sententia eliciunt, inprimis autem *Reinhard. Barbou. ad §. nostrum num. 1.*

§. 4. Dicitur Thesaurus ex Antiquorum Scriptura. Thesaurus *Claud. Salmas de usur. c. 11. in f.* Sicut & ita hæc vox in Pandectis Florentinis scripta invenitur, sed contra Capri Grammatici Donatiq; sententiam. Quippe Thesaurum (inquit Donatus) veteres secundum Græcos sine litera *Θ*, proferebant. *Joaehim. Mynsinger ad h. §. num. 6.* unde Thesaurizare est, quod nihil aliud, quam Thesaurum congerere ex mente Ecclesiasticorum Scriptorum denotat. *Gerard. Johan. Vossius de vitis Latin. Sermon. Lib. 4. cap. 27. in f.* Ab *Aurel. Cassiodor. Lib. 6. var. Tit. 8. circa fin.* Depositiva pecunia dicitur, idè fortassè, quod magnam Thesaurus cum Deposito affinitatem habeat. *Petr. Gregor. Tholosan. in Syntagm. Jur. univers. lib. 23. c. 4. n. 10.* Porrò beneficium DEi. *l. un. v. nam in suis C. de Thesauris.* Donum Fortunæ *l. 63. §. 1. ff. de A. R. D.* Græcis est *θησαυρός*, Gallis Thesors, Italis Tesoro Germanis Schatz.

Cap. II.

CAP. II.

Eadem occasione Definitioni Reali
succedit.

§. 1. Thesauri definitionem tradit *Paulus in l. 31. §. 1. ff. d. A. R. D.* quod sit scilicet vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam Dominum non habeat. Cujus jam definitionis verba, quo clarius de illa constare possit, curatius paulo perpendemus.

§. 2. Dicit *ICTus, vetus quædam Depositio*, vix alia de causa, quam ut indicet talem depositionem hic desiderari, quæ iu memorialis est. Ex quo scire licet, eam pecuniam, quam quis sub terra condidit, quamq; oblivione seu immemoria reperire nequit, pro Thesaurò habendam non esse, quia scilicet non est vetus depositio, quod tamen formale aliquod constituens Thesauri est. Quid igitur obstat, quo minus inferre quam liberrimè liceat, circumstantiis hic attendendum cum primis esse. Ne quis igitur aliunde arcescat decisionem casus, quem aliquoties rediisse legimus: *Scilicet pecunia sub terra recondita invenitur, cujus forma cognosci potest; apparent videlicet effigies, ac cetera nota, quas nostra ætate impressas fuisse constat.* De tali igitur non ad formam thesauri judicandum; nec inventori adjudicanda est illa pecunia, cum requisitum, scilicet immemoriale ac vetus tempus hic desideretur. Quod ut ingrediens aliquod sine destructione atq; interitu ipsius subjecti abesse haud potest. *v. Dn. Benedict. Carpzov. part. 2 c. 53. de 10.* qui in proposita facti specie venditoribus potius talem pecuniam defert, ut qui tot ac tam varias conjecturas quasi sub signis habent, quæ non possunt non in considerationem venire.

§. 3. Atq; hinc quoq; citra cristas ac supercilia sanè dijudicare possumus, quale nam *judicium de illa pecunia fe-*

763-

vendum, qua lucri, vel metus aut custodie causa sub terra con-
dita est? Sanè is, qui abscondidit, Dominus utiq; manet, ,
inventorq; restituere huic Thesaurum tenetur, nisi subire
furti actionem velit. Cujus rei ratio in complexu atq; ad
manum est veluti : quia licet tempore inventionis com-
missum furtum haud sit, ipse tamen inventor conventus
postea fur esse incipit ob contrectationem videlicet rei ali-
enæ invito Domino. §. 1. 7. de obligat. qua ex delict. nasc.
Decidit ita hunc casum expressè ex l. 31. §. Thesaurus ff. de A.
R. D. Arism. Tapat. Compend. Decis. Tit. 545. cap. 1. cumq; eo
Hubert. Giph. in Lectur. Altorphin. ad l. 31. de A. R. D. n. 10. ex l.
15. ff. ad exhibend. Cui jungi queunt l. à tutore 67. ff. de R. V. l.
44. in pr. ff. de acquir. possess. l. 43. §. 4 ff. de Furt.

§. 4. Quam quidem notam quo effugiat Inventor, ,
non melius sibi consulere potest, quam ut ignoto forte the-
sauri Domino publicè per Ministrum Ecclesiæ, vel per Præ-
conem vel libellum testetur, thesaurum abs se inventum fu-
isse, quem tamen restituere vero Domino paratus esset. l.
falsus creditor 43. §. proinde videamus. 8. sub fin. ff. de furt. Ad
quod de jure Saxonico pariter adigitur ob r. expressum.
Landrecht Lib. 2. art. 37. post prin. v. das soll er auß bieren. Quem
textum ideo thesauro applicat Matth. Berlich. p. 2. Concl. ult.
n. 27. & seqq. quia hic de natura inventorum participat. De-
bet autem præterea certum tempus assignare Inventor, scil.
sex septimanarum, quod intrâ Domino vindicare Thesaurû
patet. Landrecht d. art. in med. v. fômbr jener in 6 wochen. Cui,
si quis appareat fortè, incumbit in specie liquidare, quanta
ac qualis pecunia inventa fuerit, wie viel und was es am geld
vor mîng und sorten seyn/ quo plenam utiq; mereatur fidè,
quæ tunc labare incipit, cum circumstantiæ fallunt. Sed
quid juris, si post publicationem legitimam non appareat Do-
minus? Secundum tenorem juris civilis tunc quidem tota
ac integra Inventori cedit. §. b. n. l. un. C. de Thesaur. Jure vero
Saxonico duæ partes adjudicantur Judici loci istius, & so-
lam tertiam partem demum nanciscitur Inventor Landr.
d. art.

d. art. in f. v. fōmbt aber jēmand Zobell. *part. 2 differ. 61. n. 9. & seqq.* cateriq; adducti à *Berlich. d. c. 12. n. 31.*

§. 5. Depositiō autē à verbo deponere est, quod significat credere atq; cōmittere, licet antiquitus hoc verbū alio longē sensu fuerit usurpatum. Id quod præter infinita alia ostendit iste Ciceronis 3. in Verrem locus: *Itaq; mihi videor magnam ac propē depositam Republicæ partem suscepisse.* Quocirca multum Thesaurus cum Deposito commercii habet. Hoc enim quemadmodum eum in finem deponitur penes aliquem, ut asservetur fideliter, unde & fiducia nonnunquam venit nomine, *Idem in Orat. pro Aul. ita & Thesaurus terræ quasi fiduciæ committitur, quam penes custodiæ causâ deponitur.*

§. 6. Non hic industriam nostram præterire debet, *quæ nam verbi pecunia efficacia sit?* Nimirum non tantum nummos denotat, verum & alias opes abditas. *Lun. C. de Thesaur.* sicut & alias pecuniæ nomen tam hanc numeratam, quam quasvis res alias continet, *l. pecunia verbum 178 l. pecunia nomine 222. ff. de V. S.* Est quippe pecuniæ significatus in nostro jure varius; cum partim ea omnia complectatur, quæ sunt in patrimonio. *l. rei 5. ff. de verb. signif.* partim verò ea quæ functione recipiunt. *l. 2. §. 1. ff. si cert. petat.* partim deniq; sumatur pro pecunia numerata. *Herman. Vultej. ad Tit. J. de Locat. & conduct. num. 20.*

§. 7. Ultima definitionis verba sunt: *Ut jam Dominū non habeat.* Cum quibus concinunt verba *Glossæ ad Artic. 35. Lib. 1. Speculi Saxon.* *Schatz ist verholen-geld des Herrn vor alter nemer danck. Oder / schatz heißt begraben gut oder geld in der Erden / das so lang gelegen hat / das von alter niemand gedencket / wes es sein mag.* Inter *ad dēo* itaq; refertur Thesaurus. *Sed quæ ratione?* Quia Dominus ignoratur. Quod autē non apparet, pro eo est, quasi non sit. *Hug. Groz. de Jur. Bell. & Pac. lib. 2. c. 8. §. 7.* Proinde & hic nullus ad esse Dominus creditur. Jam quod in nullius Dominio est, alicujus tamen esse potest, illud naturali ratione occupanti conceditur.

B

§. 7. fere

§ fers 12. *f. de R. D.* Sed moveris fortassè, conditor Thesauri nec Dominium nec jus possessionis amittit. *l. 14. in pr. ff. de Acquir. vel amitt. possess.* Citra enim voluntatem ipsius contingit, ut alius Thesaurum nanciscatur. Probarent se hæc equidem, absq; ignorantia Domini atq; vetustate si effectus. Namq; hujus jus ob ignorantiam extinctum penitus est, usq; adeo, uti in rerum natura amplius talis Dominus vix esse existimetur. *Valent Guibelm. Forster. de Domin. Cap 9. num. 100.*

CAP. III.

Exhibet proprietatem *Pronom.*

Quis.

§. I. Hoc verbum masculos Fœminasq; nullo discrimine agit *l. 1. ff. de V. S.* sicut eadem ejus vis in *l. 7. pr. ff. de jurisdic. Si quis id, quod perpetua jurisdictionis causa, non quod prout res incidit in albo vel in charta, vel in alia materia propositum erit, dolo malo corruperit, datur in eum quinquentorum aureorum judicium &c.* item in *l. 3. §. 1. ff. de Negot. gest.* Ubi Ulpianus ait: *Hæc verba si quis, sic sunt accipienda, siue quæ, &c.* Perpendere autem sedulo debemus, quidnam juris mulierii in hoc vel illo loco, ubi reconditus Thesaurus est, competat, quod ex sequentibus pro re nata apparebit.

CAP. IV.

Explanans quisnam locus dicatur

suus.

§. I. Locus

§.1. Locus suus est proprius, hec est, ut annotavit hic *Matth. Wesenbec.* qui pleno jure ipsius inventoris est. Hujus igitur quia Thesaurus quædam quodammodo pars videtur esse, ad fundi utiq; Dominum ut spectet, necesse est. *Joh. Harprecht. ad §. h. num. 5.* Non aliter ac gemmæ lapilliq; in littore inventi ejusdem, cujus littus est, juris censentur esse *§. item lapilli. 18. l. h. t.* Nec quicquam hic refert, num casu fortituito vel data opera sit inventus. *l. un. C. de Thesaur. Schneidwin. ad §. Thesauros 40. num. 6.* modò ista adhibita opera sit licita. Nam si illicita super veniat, hoc est, talis, quæ cum incantatione artibusq; magicis commercii quid habeat, tunc thesaurus acquisitus non inventori, nec fundi Domino, sed fisco applicatur. *l. un. C. de Thesaur. Cardinal. Tuschus tom. 8. Practicab. Conclus. lit. T. conclus. 300. num. 1. in medio. Rosenthal in Tractat. Feudal. cap. 5. conclus. 92. num. 3. Arism. Tapat. Compend. Decisio. Tit. 545. cap. 3. qui ex Borg. Caval. Decis. 15. de Contract. part. 2. Inventori insuper & pœnam decernit.*

§.2. Nec diversum quid in jure Saxonico hac parte invenimus constitutum, ut ut generalitas textus *art. 35. lib. 1. LandX.* multis adeo fumum vendiderit. Non enim de Thesauris in terris abscondito, verum auri argentiq; fodinis aliisq; metallicis venis intelligendus. Quam interpretationem nanciscitur ex mente Illustrissimi Electoris Augusti Juris Saxonici Protectore in *const. 53. part. 2 §. diereit aber.* Nec laborat explicatio hæc ex imbecillitate quadã secundũ *Reinhard. Bachov. in Animadversor. id Treutler. V. 2. D. 20. Th. 2. lit. g.* verbis. *Est autem jure Saxonico* cum verba *Silber mag auch sein man d. art. 35.* eam satis utiq; succingant ac super. *Dn. Wendt. Carpozov. ad d. Const. Def. 4.* Errorem hinc quoq; interpretantium *b. art. 35.* de Thesauris in loco publico vel Imperatoris vel arte magicã invento notare sibi cepit. *Matth. Berlich. part. 2. Concl. ult. num. 19.* Qui non minus *num. 18.* illorum sententiam explodit, qui h. l. generaliter de omni fundo, omniq; indistinctè opera accipiunt, thesaurũ fisco promiscue destinantes.

Indicans naturam verbi *inven-**nit.*

§.1. Inter Invenire & Reperire non nemo eam differentiam ponit, quod prius sit artis industriaq; posterius verò casus & fortuna: sed nimis extrâ rem. Potius enim est, ut dicamus, Reperire esse rē quoquo modo recuperare; (sicut & Festo repertum quasi reperatum seu reparatum dicitur.) invenire autem in rem venire ejusq; quasi possessionem adipisci, vel potius ex *Barbio lib. 12. Adversar. cap. 15.* Invenire valet ære vel labore sibi suisq; usibus comparare, pro quo reperire (pro ut exemplis declarat) promiscue sapius usurpatur.

§.2. Juridicè verbum *Invenire*, ut hic, interpretamur, non de nuda inventione, ut sic loquamur, verù de tali, quæ adjunctâ qualitâtē, hoc est, apprehensionē habet. Textus in hanc rem clari sunt: scilicet *l. possideri 3 §. Neratius. v. Quidam putant. ff. de acquir. vel amit. possess. l. 15. ff. ad Exhibend. l. peregrè 44. in pr. ff. de Acquir. Poss. Valentin. Guilhelm. Forster. de Domin. c. 9. n. 101. Hieron. Treutler. V. 2. D. 20. th. 2. lit. b. Gilken. ad Tit. C. de Th. saur. n. 47.*

§.3. A qua nos sententia dimovere haud quaquam debent sequentia, hisq; similia. Ac 1. quidem, quod in *§. n. l. si is qui. 63. l. nunquam 31. §. Thesaurus 1. ff. de A. R. D.* non peculiaris quædam mentio, vel apprehensionis vel locomotionis fiat. Diximus enim verbum *Invenire* idem esse, quod occupare *l. si quis. 7. ff. pro Derelict. l. falsus 43. §. quid ergo 9. & §. si jactum. 11. ff. de Furt. l. si Barjatorum 13. C. de Fidei jussor.* Scilicet ut thesauri inventi dominium nanciscamur, necesse est, uti eum apprehendamus, cum sit res mobilis, in re immobili latens. At verò res mobiles ea tantum à nobis possidentur parte, qua custodiæ succedunt *l. 3. §. Nerva 13 de Acquir. ..*

Acquir. possess. Impossibile autem est uti rem mobilem vindicemus, quam sub custodia nostra nunquam habuimus. *l. in rem. 23. l. officium. l. Qui restituere 68. ff. de R. V. l. 3. §. f. ff. Ad Exhibend. Valentin. Guilielm. Forster. de Domin. c. 9. num. 103. Johan. Harprecht. ad §. h. n. n. 37. & seqq.*

§. 4. Nullo præterea negotio discutere poterimus similitudinem inter Horreum Thesaurumq; inductam, quæ duo æquè fundo aliquo contineri dicuntur. Quocirca sicut traditis clavibus ad horreum, frumentum venditum, quod intus est, etiam absq; apprehensione traditum censetur. *l. clavibus 74 ff. de contrab. Empt. §. vendita 41 l. de R. D.* ita ad instar hujus etiam thesaurus simul venditus ac traditus existimatur. *Quippè responderimus, illationem è separatis petitam elumbem cum maximè esse.* Non igitur ulla hæc ratio valebit. Nimirum si venditor tradit clavem emptori horrei, in quo positum est frumentum, vel vinum venditum: accepta id clavi emptor habere sub custodia incipit. Quare jam in eum translata intelligitur rei venditæ possessio. Aliter autem hic sese res cum thesauro habet, utpote qui exinde non intelligitur in custodia emptoris esse. *d. l. 3. §. Ne rarius 3. in f. ff. de acquir. & amitt. possess. Conan lib. 3. Commentar. Jur. Civ. c. 4. n. 1. Duaren. ad allegatam l. 3. de A. P. Heinrich. Bocer. de Regalibus cap. 3. num. 191.*

CAP. VI.

De Autore hujus ordinationis occasione verborum *D. Hadrianus* tractat.

§. 1. Quo exactius de toto hoc negotio constare possit, age conferamus nos retro in tempus, *D. Hadriani* ordinationem quod ante cesit: Erant olim variæ de Thesauro Veterum Ictorum sectæ. *Manilius* primum *Brutusq;* Thesaurum Domino loci deferebant, etiam eo casu, quo nesciebat, hoc est, possidendi affectum non habebat. Rationem annotat *Egidi. Hortens. ad h. §.* quoniam thesaurus rudi

sua materiae redditus videtur, cum ita in solo conditus esset, ut ejus depositionis memoria non extaret. Quapropter una res, una amborum possessio credebatur.

§. 2. Bonam cum hisce partem fecerunt postea Neratius atq; Proclus, statuentes quidem, vix propria Thesauri possessione vel apprehensione opus esse: Sed requirentes tamen scientiam, in Domino loci, *forte ad hoc, uti in acquirenda nobis per alios possessione tantum nostro animo seu voluntate egeamus.*

§. 3. Prodiit postmodum de hoc Sabini sententia, quæ & prevaluit quoq;. Voluit hic autem, ut vix eadem possessione thesaurus possideatur, qua locus ipse. Quocirca Dominus loci non fiebat Dominus Thesauri, nisi & cætera simul ad hanc formam essent, hoc est, nisi sciverit, atq; simul moverit loco. Simul quisquis alius Inventor Dominium nancisceretur; cum Thesaurus quasi omnino propriam suo nomine speciem tueatur à fundo separatam. Vestigia harum contentionum refert *Paulus in l. 3. §. Neratius ff. de acquir. vel amitt. possess. Ægid. Hortens. d. l.*

§. 4. De cætero Imperatores etiam in hanc rem varias constitutiones emisere, ceu textus sub tit. *C. Theod. de Thesauris §. l. un. C. Iustiniano* id evictum in primis reddunt. In qua l. ostenditur ante necessarium fuisse, uti inventor Imperatoris rescriptum impetraret. *Reinhard. Bachov. ad h. § p. 303.* Non aliter atq; è Platonis instituto olim necessarium erat, uti Inventor magistratui id indicaret. *Philostr. II. 15.* Variasse autem Imperatorum constitutiones Zonaræ aliorumq; testimonia confirmant, quæ extant penes *Ægid. Hortens. d. l. Hug. Grot. d. l. in not. Nov. Leonis si. ibiq; Goufred.* Donec tandem D. Hadriani sententia à Justiniano per omnia comprobata fixum ac stabile de Thesauo aliquod jus induxit.

§. 5. Cujus concessionem cur tam honorificè hic alleget Imperator, mirum equidem quam plurimis visum, cum acquisitio Thesauri *h. n. §.* ad modos acquirendi de jure Gentium rejiciatur, sed quidni? Non enim protinus circa

ea, in quibus singulare privatorum Dominium extinguitur, universale Reipubl cessat; præsertim in iis, quæ, ut sepelitis Theauri. l. 4. §. 6. ff. ad leg. Jul Pecul. Nov. Leon. 51. pr. lege prohibente & invito Magistratu in commissum quodammodo cadunt. Dn. Georg. Frantzk. Exerc. 4. quest. ult. *ibiq;* Gotofred. Fibig. Tim. Faber. Disput. Anniversar. 14. tb. 10. Porro, cum fiscus tributa accipiat pro patimoniis quantitate, sicq; pecuniæ reconditæ tributis fraudetur, quid quæso æquius, quam ut ideo aliquod jus in invento thesauro sibi vendicet. v. b. plenius Reinhard. Bachov. ad h. §. n. 3.

§. 6. Quem ideo DIVUM nominatum persuasum habemus nobis, quod hic Imperantibus titulus jam olim ex obsequii aulici subtilitate, & assentandi illa libidine inveniendi formulas quasdam, quibus fastigium Principum Divinæ Majestati æquarent, fuerit destinatus; annotante Celeberrimo Dno Aug. Buchnero ad Cap. 87. l. 2. *Annal. Tacit.* Quæ postea ferre lubenter nihil quicquã dubitarunt, cum semel admissis exëplo inter pares pro injuria fuerit, imparibus titulis ornari. Quo factum est, ut quod adulatio à principio fuerat, paulatim ratio fieret. Dn. Johan. Henric. Boecler. de Subtil. Aulic p. 26. Cujus tamen rei, quod probe notandum, vestigium in Sacro codice penitus nullum conspicitur, ut ut Principes Regesq; appellati inibi Dii sapius fuerint. *Idem de Ausp. Reg c. 3. n. 3.* Factum igitur hunc Orientalibus Regibus tribuit, qui se Solis ac Lunæ Fratres nominari patiebantur; donec tandem & Romanorum Imperatores afflaret. Equibus tamen ille Simulator Tiberius detrectavit, dum secundum *Svetonium in ejus vitâ c. 27.* appellatus à quodam Dominus, denunciavit, ne se amplius contumeliæ causa nominaret. Dicentem, Sacras ejus occupationes, verba mutare, & pro sacris laboriosos dicere coëgit. Sed ut cæteri omnes ipsius actus ad rem, hoc est, imperium obtinendum, declinandum autem nomen, ita & hic ad hanc formam comparatus erat. Non spreverunt utiq; sequentes Cæsares, quin & sub optimo Trajano invaluit, ut nova ratione non amplius Tu appellaretur. Ita enim

Plinius

Plinius l. 10. Ep. 20. scribit : *Ut primum me, DOMINE, Indulgentia VESTRA promovit ad praefecturam ararii Saturni &c.* Scilicet in summum tūm evecta Cæsarum auctoritas talem submissionem requirebat ; prout & hujus in ævi Tiberiani Scriptoribus Velleio Paterculo atq; Valerio Maximo multa vestigia habemus. Ex hoc ipso originem hausisse formulam Præscriptionum Principalium NOS, conjectura in primis planum faciunt. Qua tamen Turcarum Imperatorem adhuc usum non fuisse, ex Achmeti exemplari contractæ cum Galliarum Rege Henrico 4. amicitia patet, cujus verba hunc in modū referunt *Michel Baudier en l' Inventaire de l' Histoire Generale des Turcs liv 17. Moy qui suis par les infinites graces du juste, grand, & tout puissant Createur, & par l'abondance des miracles du Chef de ses Prophetes, Empereur des victorieux Empereurs, Distributeur des couronnes aux plus grands Princes de la terre &c. Ego qui per infinitam Justi, Magni, & Omnipotentis Creatoris, & per abundantiam miraculorum Capitum Prophetarum ejus, sum Imperator Victoriosorum imperatorum, Distributor Coronarum in maximos Terra Principes &c. Sed num Divi titulum rectè retinuerint Christiani Principes, disquirunt multi, v. Gerard. Johan. Voss. Theol. Gentil. l. 3. c. 17. Constantioq; Imperatori in primis succensent, cui, *Ammiano teste, felix contra Magnentium successus verba dedit; dum devicto eo Orbis se Dominum Æternumq; nominabat. Immo & in subscriptionibus Æternitatem suam circumferebat: supparasitantibus hac parte Arrianis, quod æternitati Filii DEI auctoritas ex inde decederet. Ceu illuminatè hoc ipsum annotavit Vir de Jurisprudencia juxta atq; Politiorè omni Doctrina optimè meritus Dn. Johann. Otto Tabor in absolutissimo illo Commentario ad tit. C. de Merat. & Epidemet. part 2. cap. 3. num. 11. Quamvis excusationem bonam partem mereri possit exinde ne Christianorum Imperatorum minor, quam Paganorum erat, Majestas crederetur, quemadmodum cum multis aliis hanc rationem affert Dn. Boecler. d. jam l. num. 5.**

Cap. VII.

Cap. VII.

Naturalis æquitatis respectum explicat.

§. 1. Naturalem æquitatē hic *Huberi. Giphani. ad hunc §.* interpretatur per rationem cuiq; perspicuam. Tūm quoniam thesaurus, cujus depositi memoria non extat, nullius est, proindeq; primi acquirentis efficitur *l. nunquam 31. §. 1. ff. de A.R.D.* Neq; verò hic ulla cupiditas cupiendi per quā nullus se Dominus ingemiscentem misisse; quemadmodum ille ait penes *Dominic. Aruma. Exercitat 5. thes. 20.* Tūm verò, quoniam omnis fundi utilitas sive intrā terram sive supra eam sit, ad fundi Dominum pertinet: prout de lapidicinis ac talibus traditur *in l. 7. §. si vir ff. solut. matrim. l. si ex lapidicinis 32. ff. de jur. dot. l. ult. ff. de fundo. dotal. Francisc. Hotoman. Matth. Wesembec. ad hac verba.* Quibus trutinatis probè, firmiter statuimus, neminem non veterum tam obtusi cerebri fuisse, quin Inventori thesaurum adjudicare in animum induxisset *Ægid. Hortens. ad b §.* Sicut Tamerlanes Scyha Aratori aliquando in Syria thesaurum inventum reliquit, cum Deus (ceuloquitur) talem ad eum detulerit, *Philipp. Camerar. part. 1. Horar. subcistiv. cap. 63.* Quod si fecisset Richardus Angliæ Rex, non tam infelicitè ad Cavalcum, in quam urbem nobilem quendam, qui invenit in proprio fundo Thesaurum, compulit, cecidisset. *Idem d. l.* præter alia multa in hanc rem notatu digna.

§. 2. Naturalis æquitatis rationem penes Hebræos obtinuisse Christi parabola, quæ extat *Matth. 13. v. 44.* ostendit. Quin & simile quid Syriam coluisse, colligitur ex *Philostrati historia l. 6. cap. 16.* proposita. *Hugo Grot. de Jur. B. & P. lib. 2. cap. 8. §. 7.* Quem alluisse cum multis ad *art. 35. in Eand. X. lib. 1. ibidem* conspiciamus, dum ait. *Germania Populi Thesauros addixerunt Principi, atq; id nunc jus commune est, & quasi gentium. Nam & in Germania & Gallia & Anglia & Hispania ac Dania id observatur, ubi quam benè pro Germanis faciat. d. art. 35. notare licet ex cap. 4. §. 2.* Sicut nec in Anglia simpliciter, ut & Gallia hoc jus observari, obser-

ob servatumq; fuisse, Petrus Gregor. Tholosan. in Syntagm. Iur. univers. lib. 3. cap. 11. num. 5. & 6. Anam. Tapat. Compend. Decis. Tit. 545 c. 1. ex Johan. Papin. lib. 13. tit. 7. arrest. 1. cum primis monstrant.

CAP. IIX.

Describit sacra ac religiosa loca.

§. 1. Amborum descriptionem non aliundè, quam ex hoc nostro titulo petemus. Scilicet in §. 8. *inf* habetur: *Locus autem in quo aedes sacra edificata, etiam diruto aedificio sacer adhuc manet, ut & Papinianus scripsit. Et in §. Religiosum subsequenti est: Religiosum locum unusquisq; sua voluntate facit, dum mortuum infert in locum suum: In hisce igitur locis si quis invenerit fortuito casu Thesaurum, totus ipsi cedit, secundum tenorem, n. §. cui graviter repugnat. l. Non intelligitur 3. §. si in locis fiscalibus 10. ff. de Jur. Fisc. ubi Ictus Callistratus ait: si in locis fiscalibus vel publicis religiosisve, aut in monumentis Thesauri reperti fuerint: D. vi Fratres constituerunt, ut dimidia pars ex his fisco vindicaretur &c.*

§. 2. Labyrinthus hic locus est, usq; adeò, ut sicut non nemo Grammaticis olim, ita hic parili modo Callistratus Ictis crucem fixisse videatur; Nicolaus de Passerib. in conciliation. legum p. 664. post relatas septem, quas singulas discutit, conciliationes ingenue num. 29. cum Duareno fatetur, tan à inter hosce textus dissonantiam esse, ut nulla ratione conciliari queant, ex quo mirari incongruens, cur Francisc. Zoannet. Restitut. cap. 27. remedium violentissimum, scilicet correctione textus adhibuerit. Trajicit eum autem, atq; sub verbis. *in d. §. si in locis religiosisve*, legit negative, *non etiam religiosis*. Sed hic modus solvendi modum hunc proprior sævitia est; quasi eam ad formam agendas, quam ille in Gordy adhibuit. Quocirca de alio cogitandum: Cumq; nec secundum Glossam æquitas ac rigor hic considerari debeant; nec secundum Donell lib. 4. Commentar. cap. 4. Eg. d. Horiens ad h. §. Divorum fratrum opinio ut posterior, valeat; nec cæterorum tentatæ concordia penes

penes Nicol. de Passerib. d.l. *Erasm. Ungep. Exercit. §. question.*
13. in Moſe vix ulla ratione probare poſſunt; igitur ad aliam
merito ſectimus.

§. 3. Nimirum §. *noſter Theſaurus* 39. tractat de loco reli-
gioſo ſuo, aut majorum ſuorum, prout hoc ipſum verba i-
nitial a quos quis in loco ſuo, Verba: *Idemq. ſtatuit: ſi quis in*
ſacro aut religioſo loco ſcilicet ſuo invenerit. Verba deniq; :
At ſi quis in alieno teſtantur. L. autem 3. §. ſi in locis. ſiscalibus
10. de jure Fiſci, non tractat de religioſo ſuo, ſeu proprio, &
privato; Verum de loco religioſo ſicali, & ſic alieno. Non
hic nos divinare, probat Rubrica totuſq; adeo tituluſ, qui
jura Fiſci unice exequitur, ſicut §. *b. n.* potiſſimum in rebus
privatis occupatur. Quocirca nemini mirum videri poteſt,
ſi alia juris diſpoſitio in locis religioſis privatis, alia verò
in locis religioſis publicis, qui ad Principis bona pertinent
l. 3. C. de Quadrien. Preſcription. obtineat? v. Sigismund.
Sinckelshaus Diſput. de jure Sepult. Concluſ. 40. d. l. 3 §. ſi in lo-
cis ff. de Jur. Fiſc. egregie explicantem.

§. 4. Quam ipſa antiquitas quoq; reverà juvat, ut quæ
nos docet, ſepulcrorum alia privata, alia publica fuiſſe. Ac
privata quidem ea, quæ quiſq; ſuo loco ſepulturæ aſſigna-
rat. Quippe ſolent e Antiquis erat, in agris hortisq; ſuis ſe-
pulchra extruere, etſi talem non habebant, ab alio quendâ
certâ pecuniâ ſumma emere. Talia ſepulchra privata erant
vel Hereditaria vel Familiaria. Illa quæ quis ſibi hæredi-
buſq; ſuis; hæc quæ quiſq; familiæ ſuz deſtinabat. *Anton.*
Perez ad Tit. C. de Religioſ. & Sumptib. ſun. n. 6. Sigism. Sinckelo
thaus de jur ſepultur. concl. 2. lit. b. Quæ ſecundum *Auguſtin.*
de Civitat. Dei. l. 1. c. 1. Requietoria aut Loci, itemq; *Oſſuaria ac*
Cineraria vocabântur. Taliû inſcriptiones eum in modû no-
tata: **F. S. P. Q. S.** hoc eſt, **FECIT. SIBI. POSTERISQ. SUI.**
Frideric Taubm. Prolog. Caſin. ad verba communem locum num.
19. Publica verò partim ea, quæ viris de Repub. optimè
meritis deſtinabantur; partim vero ea, quibus pauperes in-
ferebantur. *Johann. Kirchman. de Funerib. Romanor. lib. 2. cap.*
22. 23. 24. 25. Quorum monumenta ad differentiam privato-
rum

rum Religioforum hisce characteribus. H. M. H. N. S. hoc est *Hoc Monumentum Heredes Non Sequitur*, inscribentur. Prout ex antiquo quodam ad *Horatij Sat. 8. lib. 1.* commentatore commonstrat. *Just. Meier. in Colleg. Argentorat. lib. 41. tit. 1. num. 48.*

§. 5. Ac erat quidem locus Pauperum sepulturae extra urbem delinatas Campus Esquilinus, cum intra urbem non liceret sepelire, ne scilicet funestentur sacra civitatis *Paulus l. 1. sentent. tit. 12.* Unde cum populus Romanus odoris ac coeli gravitate laboraret, Augustus locum repurgavit, urbemq; aedificiis auxit ornavitq; Amotis itaq; sepulcris intra urbis ambitum redactus est, secutaq; hunc locum mira amoenitas aediorumq; frequentia. Quin & à Mecœnate horti ibi positi turrisq; nobilis, Mecœnantia quæ dicebatur, erecta. *Alexand. Donat. in Roma Veter. ac Recent. lib. 1. cap. 13 p. 39.*

§. 6. Sed enim verò suspecta hæc conciliatio, *Nicolas de Passerib. d. jam. l. n. 28.* videtur & quidem ex hoc imprimis capite, quod privatus in loco religioso nihil juris vindicare sibi potest, cum ob *S. nullius 7. de R. D.* Loca Religiosa Sacra & Sancta nullius esse dicantur. Si ergò nullius est locus religiosus quo quæso colore privato jus aliquod in inventum Thesaurum competere poterit? Equidem si hoc casu circumspiceremus Domini illius fundi in quo locus religiosus est, jus, sponcte contentus tentatus resolveretur. Cum locus religiosus reverà nullius credatur esse Sed postquam non tam huic attendimus, quam conjecturam firmisimam velificanti Domino fundi non possumus non huic jus paulo plenius concedere. Quippè verosimile cum maxime est, ab ipsius majoribus qui locum hunc religiosum primùm effecerunt, pecunias reconditas fuisse. Quatum Dominiū ad descendentes transit, qui Domini manent. Dicendum præterea, locum Religiosum non nisi ob usum privatum dici, in quo veteres jus quoddam Numinis putari colendi, & mortuos suos condendi habebant, cujus vigore id aliis prohibere poterant ne in eo idem facerent. Quocirca & talis ad pri

ad privatos ob jus mortuos inferendi pertinens, fundis accedere intelligitur, *l. in modicis 24. ff. de contrab. emption. mō cum universitate transit. l. quaedam 63. ff. de A.R.D. ut ita mirum videri non debeat, thesaurum inibi inventum ex naturali æquitate privato cedere, non aliter ac si esset reperi- tus in loco suo profano. De cætero Jure Canonico thesauri dimidium in Loco Religioso inventi Ecclesiæ cedit. Rationem si investiges, hanc habe: quia hoc Jure Loca Religiosa sunt in dominio Ecclesiæ: quare Imperator aliusq; summus Princeps de rebus Ecclesiasticis disponendi facultatem non habet: *Canon. Non placuit 13. c. 24. caus. 16. quest. 7.* Ideo quod res illæ Ecclesiæ sunt propriæ: *cap. insuper 8. § 1. c. X. De Reb. Eccles. Sigism. al. Sincelthaus D. F. 4. controvers. 20. lit. c.**

Cap. IX.

Declarat species *Alienorum Locorum.*

§. 1. Suprà *cap. 4. §. 1.* notam loci proprii executi sumus, quam plenum videlicet Dominium absolvit, unde proclive admodum est inferre, qui pro alieno haberi debet. Scilicet talis, ubi Revocabile Dominium, aut simile quid adest. Qua occasione opportunum nunc adeo est transigere de dubiis, quæ ipsum Emptorem prædii, usufructuarium, ac cæteros concernunt. Equidem si talis antè traditionem inveniat thesaurum, etiam si perfectus jam fuerit contractus, tunc utiq; quoniam Dominus adhuc nondum est. *arg. l. 67. ff. de R.V. nullam in vendicando illo prærogativam sibi arrogare potest. Quare si antè traditionem inveniat venditor, licet post contractum jam perfectum, hujus solus maneat; sicut & si extraneus inveniat, præ Emptore dimidium nanciscitur* *Dn. Georg. Franzk. in Commentar. ad Pande. 4. Tit. de Actio. Empt. § venditi num. 27. § seq. Confer hic Do- minic. Arum. a lib. 1. Decision. Decis. 1.*

§. 2. Quæ cum ita sint, non possumus non statuere, beneficium *l. 2. C. de R.V. Venditori* haud quaquam succurrere, eum ad Emptorem, ceu Inventorem, jure naturali videatur pertinere. Licet enim Emptor occasione fundi venditi

nanciscatur thesaurum non exindè tamen à venditore profectus censetur, ut qui eum nunquam possedit, si quidem is qui nescit, non possidet thesaurum, quamvis possideat. *l. possideri. 3. §. Nec at us 3. v. caterum ff. de acquir. vel amittend. possess.* Quod igitur in nullius est dominio, id utiq; occupati cedit *d. l. 3. & l. un. C. de thesaur. Henric Habn. in Observat. Theoret. Practic. ad Wesenbec. Parat. D. ffert. at. 16 p. 69.* Ex quo concludere minimè in arduo est, venditorem sine possessione thesauri dominium non habere: quin & insuper, venditorem læsum vix videri. Nihil enim est in privatione, quod prius non fuerit in habitu. *a. pr. l. de libertum. l. Titio usufructus 69. ff. de Condit. & Demonstrat.* Imò thesauri inventio habetur loco cujusdam nascentis emolamenti, quod non jure venditionis, sed fortunæ beneficio proficiscitur, & ita ratione inventionis Emptori tribuitur *l. si is 63. §. 1. ff. d. A. R. D. l. un. C. de thesaur. Christophor. Richter. pars. 2 Variar. Decision. 99. num. 101. & seq. ibiq; allegat. Heig atq; Menoch.*

§. 3. Verum si casus daretur, ut quidam emeret prædium invitante scientia thesauri reconditi, de quo nihil suboluit venditori? Sanè totum hoc negotium ex modo sustinebitur concidete: Quippè si fortuito in scientiam thesauri venerit, totum acquireret sibi; cum honestæ prudentisq; negotiationis species à Chrsto approbata *Matth. 13 v. 44.* hic succedat. Imò Empturus haud tenetur scientiam detegere venditori, ne præposteram charitatem videatur exercere. Quod si verò datâ operâ, tunc quoniam hoc modo etiam volente Domino scrutari thesaurum illicitum, ille in universum excidit. *l. un. C. de thesaur. Idem præ all. g. l. n. 213. & seqq.*

§. 4. Res nunc ipsa poscit, ut quid de thesauro reperto in fundo cum pacto de retrovendendo empto sentiamus, in transcurso enodemus. Et nihil nos equidem concutere potest, quo minus statuamus, inter Emptorem Venditoremq; dividendum esse. Maximè si attendamus juri, Emptori in tali fundo competenti, quod ultra fructuum, quos usurarum loco lucratur, donec redimat Emptor, sese non extendit perceptionem *l. 7. §. 51. fundum 12. sub ff. solut. Matrim. ubi effugere non*

re non debet illum, quod in f. dicitur. Sed pars eius dimidia restituatur. quasi in alieno inventi. Cum de Thesauris in fundo dotali reperto certissimum equidem modum statuatur. *Matth. Berch. part. 2. concl. 2. num. 57. & seqq.* Est igitur Emptor quidem Dominus, sed tantum revocabiliter, cum liceat venditori rem redimere. *Idem d. l. n. 55.*

§. 5. De usufructuario hic congruens est dicere, cum ad Extranei instar thesaurum in alieno fundo repertum dividere necesse adeo habere, ex potestate d. l. §. 12. *Daniel Moller; lib. 4. Semestr. cap. 27. num. 2. Nicol. Boer. Decis. 224. Johann Schneidew. ad h. §. num. 8. Bened. Carpz. part. 2. C. ult. def. 6.* Quid quod thesaurus nec portio quædam fundi est l. 3. §. *Neratius 3. ff. de acquir. vel am. et poss. ff.* Sed dixeris forte, cur non hunc æquè, ut fera animalia quæ nullius sunt, acquirat, quæ capere utiq; in fundo fructuario potest? *l. usufructuarium 62. in pr. ff. de usufruct.* Nam & hic quoq; nullius perhibetur esse in l. *unquam 31. §. 1. ff. de A. R. D.* Non utiq; patiaris, ut te seducat hæc ratio. Quippè à feris ad thesaurum tanquam à separato quodam, elumbis ducitur illario. Licet enim hæc duo in eo convenient, quod ambo sint nullius, tamen rursus in eo disconveniunt, quod fera animalia fundo non æquè, ut thesaurus continentur eiq; cohereant, ut qui huic loco quodammodo destinatus existimatur. *Iohan. Harpr. h. §. num. 18. sed quid si servus à fructuario iussus terram fodere, inter fodiendum inveniat thesaurum? Nihil hoc prodest fructuario, cum non thesauri causa hoc negotii dederit servo. Hubert. Giphart. in Lectur. Altrorpin. ad l. 63. de A. R. D. p. 390.*

§. 6. Subit autem mirari, cur meliori fortuna Vasallum ac Emphyteutam in fundis Feudali ac Emphyteutico frui tradant. *Et Jone D. F. 4. th. 84. Ioh. Niell. D. F. 11. th. 6. lit. f.* cum tamen illorum ratione hi fundi æquè alieni videantur. *Sigm. Sinckelshaus D. F. 3. contr. 18.* Nec referre hic crediderimus, num thesaurus ab ipso Emphyteuta vel Vasallo; num verò à tercio fuerit inventus? *Cbr. Stran. Kremberg in Colleg. Insti. Disput. 4. thes. 23.* utrobique enim dividi debet. Ibi quidem ideo, quod utilitas saltem atq; usufructus non verò etiam pro-

proprietas, quæ maximè fecernit suum ab alieno, ad eos spectat. 2 F. 25. §. ult. l. 1. §. ult. ff. si Ager. Vect. cum thesaurus in fructu non reputetur. d. l. 7. §. 12. ff. solut. Matrim. Hic autem propterea, quod proprietarii jus longè fortius excellentiusq; est. In quem finem etiam à Zasio vocatur das mether eigenthumb cum alterum tantum dicatur das minder eigenthumb! cum minus scilicet perfectum sit. Gotsfred. F. big. Colleg. Legal. Disput. 4. Q. 5. Semidec. Videantur prater ea Generosus Dominus Conrad. ab Einscedel. de Regal. cap. 3. num. 402. Gilken in præhud. huius. tit. num. 57

§. 7. De Vidua thesaurum in feudo mariti defuncti, ceu dotalitio inveniēte extrā omne dubium res posita est. Nam & hæc Dominium tantum Revocabile habet, quod in componenda hæc similibusq; controversiis ceu Ariadnaum filium commendat, Matth. Berlich. d. jam l. n. 62. Proinde talis thesaurus inter viduam maritiq; cognatos pro dimidia parte dividendus dicitur ob. b. n. §. vi & l. si u. qui. 63. §. communis ff. de acquir. rer. domin. l. un. C. de thesaur. Dan. Moller. Lib. 4. Semestr. cap. 27. ibiq; allegati. Possunt huc trahi ea quæ habet Valentin. Riemer. Decad. 4. q. 5.

§. 8. Neq; verò diversum quid in bonæ fidei possessore statuendum, ut qui ad tempus tantummodò Dominus est, et si alicubi, ut in l. qui scit. 25. §. 1. v. porro ff. de usur. pro Domino habetur, ultrā id fructuum percipiendorum ratione exserere sese non potest. Quocirca frustra essemus, si statuere vellemus, pleniorum paulò jure in acquirendo thesauro frui, cum tamen thesaurus diversam à fructibus naturam penitus habeat. d. l. 7. §. 5. solut. matrim. Iob. Harpr. ad §. b. n. num. 19. & seqq.

§. 9. Parili modo de creditore in agro Debitoris inveniēte thesaurum dijudicanda res est. l. 63. §. Quod si creditor. 4. ff. de A. R. D. ubi notes velim, temperamentum à Iusto Meyer. in Colleg. Argentorat. l. b. 4. tit. 1. n. 49. propositum. Scilicet si post transactum tempus pignoris invenerit Creditor, tunc in totum ipsi cedit, v. hic plenius. Hubert. Giphart. in Lectio. Altorphin. ad l. 43. ff. de A. R. D. num. 10. Sed quid

quid si socius thesaurum in fundo communi invenerit? Socius inventor dimidium habebit ex quodam quasi fortunæ dono. Altera autem pars dimidia inventor socius cum alio Domino dividit, Ea tamen lege, ut in toto hoc negotio ad facta specialia de omnibus fortunæ aut similibus casibus respiciamus, ad quorum formam exigenda res erit.

CAP. X.

Quo ostenditur differentia inter modum inventionis, secundum verba non datâ operâ.

§. 1. Plurimum hic referre ex textu videmus, quomodo thesaurus fuerit inventus. Nam si fortuito & absq; data opera fuerit inventus, tunc, prout exempla superius adu-
cta demonstrant, dividitur. Quod si verò datâ opera in fundo alieno fuerit inventus, tunc secundum *l. un. C. b. t. vers. in alienis verò terriculis totum locorum Domino Inventor reddere compellatur*. Scilicet ut præcidatur occasio aliena fodiendi violandiq; Cui derogare non valet voluntas Domini. *d. vers. in alienis verò ibi: nec volentibus cum hic se favor agriculturæ opponat arg. l. 2. ff. de Nundin.* Ne fortasse is, cui concessum est à Domino investigare opes abditas, totum agrum perfodiat *arg. l. 13. §. 5. ff. de usufruct. Oswald. Hilliger. D. E. lib. 4. cap. 14. lit. d.* qui idem Lessionem, immo nec volentibus. in *l. un. v. in alienis verò C. de thesaur.* contra Gothofredum tuetur, ne tautologiæ cujusdam notam Imperator incurrat.

§. 2. Jam si rationem investigamus, cur casus benigniore fato afficiat Inventorem, scire debemus, id ideo fieri, quia thesaurus est donum fortunæ *d. l. 63. §. 1. d. R. V. quin & beneficium Dei d. l. un. vers. nam. in suis. C. b. t.* quod ei in universo interverti non debet, qui citrà omne studium,

D

atq;

atq; operam adeptus est. Sed dixeris fortè ; sic Domino minus benignè consulitur. Immò satis per restitutionem dimidii consulitur, ac super, cum dubium adhuc, num à majoribus ejus conditus? *Hugo. Donell. lib. 4. cap. 14. lit. e.* Ex quo simul efflorescit æquitas decisionis, quæ habetur in *d. l. un. vers. ult.* Ubi dicitur quod si fortè vel arando, vel aliàs alienam terram colendo vel quocunq; casu, non studio perscrutandi, in alienis locis thesaurum invenerit, id quod repertum fuerit, dimidia retentæ altera dimidia data cum locorum Domino partitur: ita enim eveniet, ut unusquisq; suis fruatur, & non inbies alienis.

§. 3. Hæc inter dum hæremus, ingerit sese spontè, ac quasi adit manum quæstio, qua eruitur: *quamnam pœna manere illum debeat, qui in domo aut fundo alieno invenit thesaurum, & eum occultat, quo casu dimidio Dominum defraudat.* Sanè etsi talis furtum committere vix videatur *arg. l. 31. §. 1. ff. de A. R. D.* at graviter delinquit tamen. Quocirca arbitrariæ pœnæ subiicitur. *Dn. Benedikt. Carpzov. part. 2. Const. 53. def. 7.*

§. 4. Ac fallere hic quidem calamum non debet, talem, si minorem fortè, quam invenit, inventi thesauri indices summam, juramenti religione constringi posse, ut sub hac veritatem revelet. *Dan. Moller. ad Const. 53. part. 2. num. 7. sub. fin. & lib. 4. Semestr. cap. 27. num. 4. Matth. Berlich. p. 2. concl. ult. num. 33. Dn. Benedikt. Carpzov. d. C. def. 8.* Quæris autem, nec leviter quidem, si inventor sit levis persona, ad jurandum facilis, & de metu perjurii suspectus? Equidem torturæ destinari debet, quo summæ inventæ quantitas eruatur. *Petr. Heig. part. 1. quest. 13. num. 57. Matth. Berlich. d. l. num. 34.* qui ad præjudicium aliquod Wittebergenium provocat. *Dn. Benedikt. Carpzov. in Prax. Criminal. part. 2. quest. 86. num. 25.* qui Jenensium responsum refert.

CAP. XI.


Resignat naturam cæterorum locorum.

§. 1. Breviter nunc è lege methodi nonnulla de locis assuenda veniunt. Varia autem sunt. Vel enim Cæsaris; vel
Fisca-

Fiscales; Vel publici; vel civitatis; ceu illa ipse imperator
in *b. §. n.* partitè designat. Locus Cæsaris est ejus, ut privati,
Fiscalis verò, ut Principis. Quippè res fisci sunt bona pro
scriptorum, vectigalia, commissa, bona caduca. Res autem
Cæsaris propriæ sunt ejus patrimonium e.g. bona à Paren-
tibus relicta, munera & dona. At hæc quidem res dicuntur
res privata, quia sunt Cæsaris non ratione Imperii, ut res
fiscales, verum ut res cujuslibet. *Hubert. Giphon. ad b. §. verb.*
in Cæsaris loco, Sunt hæc illa bona quæ singulari quodam no-
mine in Gallia notantur; scilicet Domanii, quo univer-
sum Regis patrimonium indigitatur. *Gabr. Bartholom. Gram-
mond. lib. 3. Historiar. Gallia p. 184.* Porro, qui fisco in urbe
præfuerunt, Præfeti Erario, qui verò in provinciis Cura-
tores vel Procuratores Cæsaris nominabantur. *l. 5. l. 30. ff. de*
Jur. Fisci. Vocabanturq; Rationales, utut prisci consulti re-
gidi equidem latinitatis satellites Procuratoris nomine,
lubentius fuerint usi, *v. hic omnino Dn Georg. Franzk. in com-
mentar. ad Pandect. ad Tit. de Offic. Procurator Cæsaris. vel Ratio-
num. s. & seqq.* Contrà ea is, qui Fiscalibus bonis præerat,
Procurator Fisci, seu Comes Sacrarum Largitionum dice-
batur. *Henric. Hahn. in Observat. Theoret. Practic. ad Tit. de*
Offic. Procurat. Cæsaris. vel Rational. Circà res publicas ac Ci-
vitatatis notandum cum maximè est, variare passim lectiones,
siquidem libri Veteres lectionem *Fiscali vel Publico vel Civi-*
tatis habent. Theophilus verò duo postrema verba elimi-
nat *Francisc. Hotroman. atq; Reinhard. Bachov. ad b. §.* niten-
tibus contrà. Quippè abundè constat publica in specie no-
minari ea, quæ sunt Populi Romani. *l. 15. 16. ff. de V. S.* ut non
immeritò ea, quæ civitatum sunt, hoc sensu à publicis se-
jungantur. Nobis Repetitionis succinctæ jam mensura
expleta fas hic erit subsistere, ne contraria ipsi titulo vi-
deamur moliri. Finimus igitur in gratias ad
DEUM effusi.

Tantum.







01 A 6620

ULB Halle


3

002 937 557



VL 01








54.

C. B. D.
BREVIS REPETITIO
§. Thesauros 39. J. de R. D.
Quam
Amplissimo Icthorum Ordine consentiente
PRÆSIDE
GOTFRIDO SCHNEIDERO

LI. J. D. Curiaeq; Provincialis Advocato.

Discutiendam exhibet
CHRISTOPHORUS à Wiedebach/
Nobilis Lusat.

In Auditorio Icthorum d. 4 Novembr. hor. antem.



WITTEBERGÆ

Typis Johannis Röhneri Acad. Typogr.

ANNO M DC LI.

Manf. Müller